Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

RÖPL.
72

1526

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Ternis 277.

NENIA SERE-
NISS. DOMINAE MARIAE REGI-
næ Pannoniorꝫ de obitu Sereniſs. Do-
minæ Eliſabethæ Reginæ Danorum
Sororis dulciſsimæ CASP.
Vrſino Velio authore.

EIVSDEM AD DIVERSOS
diuerſa Epigrammata.

M. NEMZETI MÚZEUM KÖNYVTÁRA

Farkas Lajos könyvtárából 1878 dec. 10-én.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

CLARISSIMO ET EGREGIO VIRO DOMINO BENEDICTO BEKenio Pannonio Protonotario Palatinali Casp. Vrs. Velius. S. D.

CVM alias propter res multas multum sane debeo Pisoni doctiss. probatissimoq; uiro, tum præcipue loco singularis beneficij duco, q. illius domi præterita hyeme suauissimoq; in conuictu Benedicte BEKeni te primum nosse cœpi, cuius morum ĩcredibilis suauitas summæ mihi uoluptati, ingenium atq; animi moderatio non minori fuerũt admiratiõi. Tantopere porro cõplacita est mihi Virtus tua uel primo gustu, ut repente te ad amandum uehementer mirabilemq; in modum fuerim accensus, ac iam inde ab initio ex quo iacta sunt fundamẽta amicitiæ nostræ mecũ in animo cogitaui quo pacto & qua uia mei erga te amoris atq; obseruantiæ magnitudinẽ tibi possẽ ante oculos ponere, & certissimis quibusdã argumẽtis insigniter declarare. Cũ itaq; perspectũ haberẽ te eruditorũ scriptis ac literarũ monumẽtis inprimis oblectari, statui in præsentia tibi nugas hasce meas in publicũ prodituras nuncupati dedicare, nõ quo illorũ in numero censeri uelim, neq; enĩ adeo frõte careo, ut ausim id mihi arrogare, neq; uero res tam digna iudicãda est primũ ut ædatur, deide ut tibi ĩscripta exeat, uerũ omnino extare aliquid uolui quo nõ ingenij quod mihi permediocre contigit, uis accelsitudo ostẽtaretur, sed explicaretur & pateret etiã atq; etiã dilucide amor erga te meus & studiũ minime peruulgatũ ac triuiale. Iam uero quicquid est libelli huius ut gratius acceptiusq; sit oculis legentiũ, & põderis aliquid accedat nugis meis Reuerẽdiss. & amplis. Domin. D. Ladislai Salcani Archiepiscopi Strigoniensis, uersus tametsi perpaucos operi tã minuto & nõ ita magni precij cõsulto præfixi, quos ille, mirabile dictu est, ex tẽpore inter funebres põpas & ineditate effudit. Qui Vir ul'solus docu nẽto esse potest exteris nationibus ut aliarũ rerũ omnium quas natura ad usum cultumq; uitæ humanæ produxit copiam atq; ubertatem affluere, ita animos sublimes et ingenia excelsa ac matura Pannonijs minime deesse. Quis uero est modo sana sit mẽte ac iudicio præditus, qui nõ admiretur Salcanũ arduiss. negocijs grauissimisq; laboribus iã ide ab ineũte ætate cõtinẽter occupatũ domesticis studijs tãtopere, & succisiuis horis, quæ illi pauci'simæ propter infinitã rerũ administrandarũ uim & molẽ cõtigerũt profecisse, ut nulli præterea rei deditos quàm ingenij culturæ, bonarũq; artiũ exercitationi ipse insigniter antecellat. Cuius quidẽ uirtutes omneis recẽsere neq; huius est loci, neq; harum uirium, et reseruamus hæc aliud in tempus magis idoneũ. Porrò ne lõgior sit epistola opere ipso. Tersissime BeKeni qualecunq; est quod tuo nomini dicatur ab Vrsino queso nõ paruitate, sed animi propẽsissimi in te tuiq; perstudiosi sedulitate æstimatũ, ac grate acceptum æqui boniq; facias, quo quidẽ argumento beneuolentiæ singularis tuæ ad nuncupationem luculentioris alicuius operis nos mirifice animabis. Bene Vale ac me ut cœpisti perge amare. Magnifico & amplissimo Viro. D. Stephano Verbetio inclyti regni Hungariæ Palatino me diligẽter cõmendabis, quẽ ego Virũ propter & multas & egregias uirtutes ipsius plurimi facio coloq; et summopere obseruo. Viẽna. 1. Kal. Apri. Anno à natali Christiano. 1526.

REVERENDISS. ET AMPLISS. DOMINI D. LADISlai Salcani Archiepiscopi Strigoniẽn. ad Serenissimam D. MARIAM Reginam Panno. ex temporalis consolatio.

Hungara Reginæ Danæ Regina parentat
Amissa lachrymis plena sorore soror.
Cur ploret non est, vita clementior illi
Mors fuit, hæc rapuit quod dedit illa malum.

EIVSDEM DE FELICISS. PVERperio Serenissimæ Dominæ Bonæ Reginæ Poloniæ.

Quæ Bona dicta fuit nunc Regem enixa Polonis,
Optima felici facta puerperio est.

A ij

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

NENIA.

Et ſi iam nimio pectus perculſa dolore
Tot fruſtra in gemitus ſoluor, & in lachrymas.
Nec me nocturni delectant mollia ſomni
Tempora, non animum facta diurna iuuant.
Sic tamen immenſo iuuat indulgere dolori,
Et totos flendo continuare dies.
Ex quo fama meas triſtiſsima perculit aures,
Quæ miſeræ aſſidui cauſa doloris erit.
Te mihi præreptam properata morte ſororem
O ſoror, o miſeræ nuper adempta mihi.
Venit ab intonſis mortis diriſſima Cimbris
Vſq; ad magnanimos nuncia Pannonios.
Nuncia quæ teneram turbauit vulnere mentem
Luctifico, & lachrymis iugiter irriguo.
Illuc te migraſſe / negant quemq; vnde reuerti,
Clauſam Lethei gurgitis alluuie.
Crudelis Libitina, & vos crudelia fata,
Crudeles Parcæ uos quoq; Lanificæ,
Vos ne iuuat teneras ab ſtirpe abſcindere vitas?
Vos medio in curſu rũpere fila iuuat?
Temporibus lœtis triſtemur, & omnia luctu
Miſcentum tepido rore genæ madeant.
ncipiant corrupta tumeſcere lumina fletu,
Et liquidam os labris ſemper amariciem
Hauriat. hæc ſunto caſus ſolacia noſtri,
Hæc tibi dona meus triſtia libet amor.
Has etiam inferias mœſtas, & inane pheretrum
Ante aras inſtar funeris inſtituo.

Vtq; ſuum natum ſub denſa Daulias vmbra
Plorat auis, quanq; plorat inutiliter.
Sic iſtud repeto nomen, ter flebile nomen
O ſoror / o miſeræ nuper adempta mihi.
Cæſaris Eliſabetha ſoror / cui ſeruit Iberus,
Cui late Heſperius ſubiacet oceanus.
Et Ferdinandi dilecta, ſororq; ſororum
Et mea, & alterius dulcis, & alterius.
Flet Luſitani maris accola, Cantaber una /
Flent Belgæ, & flauus Cimber & indomitus.
Vna omnis ruit in fletus domus Auſtria, nec iam
Pannonius tepidis temperat a lachrymis.
Ipſe tuos manes veneratur honore ſupremo
Rex meus, & raptam deflet amabiliter.
Iam pulla in trabea demiſſo uertice luget,
Congemit vxori triſtis & ipſe ſuæ.
Et fletum ingeminant proceres, ac triſte tuentur
Conſulticq; pij, Magnanimicq; Duces.
Sed mea præcipue moriens tu gaudia turbas,
Mecq; tuo linquis ſeminecem interitu.
Ha ſaltem manibus clauſiſſem lumina noſtris
Pallida, cum premeret ferreus illa ſopor.
Cum matronali digitis a uertice nigris
Auſa tibi crinem eſt uellere Perſephone.
Ah ſaltem lachrymis maduiſſent mortua noſtris
Ora tua, hauſiſſemq; vltima flabra animæ.
Vltimaq; erepta moribundæ luce dediſſem
Percupide labris oſcula frigidulis
Dixiſsemq; vale, extremumq; affata fuiſſem
Occidis heu noſtræ flenda ruina domus.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Cum nequij vero iam munere fungar inani
Aſpitio interitus dum ſimulacra tui.
Et quas morte obita perſoluimus æthere caſſis,
Has tibi tam mœſtas ducimus inferias.
Verbaq; quæ manes, complorantumq; querelæ
Excipiunt nobis vda per ora fluunt.
Omnibus inq; locis memores, atq; omnibus horis
Sollicitæq; erimus, flebiliterq; tui.
Eliſabetha iaces Soror ah florente iuuenta
Ah ſoror, ah miſeræ nuper adempta mihi
Aeternum o extincta vale, ſurreptaq; tecum
Gaudia noſtra ſimul, delitiaſq; feras.
Omnia falce metit mors pallida, nec tibi proſunt
Forma, genus, vires, gloria, pectus, opes,
Vt taceam caſus, Regumq; exempla priorum/
Exemplis eheu noſtra referta Domus.
Reſtat vt iſta tuo ſint inſculpenda ſepulchro
Carmina, & inciſas præferat vrna notas
Danorum Regina & Cæſaris Eliſabetha,
Clara Philippeo ſanguine nata ſoror.
Ante diem occubuit, iam fatorum exige leges,
Hæc annis iuuenis vixit, anus meritis.

EPITAPHIVM EIVSDEM SERENISSIMÆ Reginæ Daciæ.

Quæ? cuius Regina? ſata eſt Iſabella Philippo,
Danorum coniux Regis. an & peperit?
Facta quater genitrix. ætas quæ? ineunte iuuenta
Occubuit, meritis quam fatearis anum.

ALIVD

Quẽ tegit hoc Marmor? tegit hoc muliebre cadauer,
Quero genus, nomen, tempora, cum meritis?
Danorum Regina, ſata eſt Iſabella Philippo,
Facta quater genitrix, pene puella obijt.

DE VESTE LVGVBRI DEPOSITA A SERENISSIMA Domina Regina Maria Pannoniorꝫ.

Atratam cernens Marien/ furuumq; cubile
Cypris, & in molli Stragula pulla thoro.
Nouit vt interitu turbatam ſorte Sororis,
Et declarantes gaudia verſa togas.
Non tanti mors eſt, ait vnius, unius ergo
Non æquum eſt tanto tempore flere duos.
Nec me paſſus amor iuuenem lugere peremptum
Siccauit quaſſa mox face lachrymulas.
Mitte graues gemitus/ & inanes mitte querelas,
Et Regina Viro perge placere tuo.
Dixit, & iniecto niueo mutauit amictu
Blanda Venus veſtem, Stragula dulcis amor.

DE EADEM SERENISSIMA DO. REGINA Anna apud matrem Cupidinis querela.

Cur fleret natum cytherea rogauit inermem
Ille arcum amiſi, telaq; mater, ait.
Tunc dea, quis rapuit tantus tibi? rettulit ille,
Pannonio Regi nupta decens Marie

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Rurſum hæc, qui potuit? hæc reddidit ille. putaui
Deceptus forma me dare diua tibi.

AD REVERENDISS. DOMINVM D. LAdiſlaũ Zalcanũ Archiepiſcopũ Strigonienſem.

Ante Iouem longo certamine Pallas, & augur
Delius, & coniunx diſſeruere Iouis.
Quod maiora dedit tibi numen, ut illius eſſes,
Diuitias Iuno, carmina Phœbus ait.
Pallas, ego huic pectus, uos ne contendite dixit
Iuppiter, his maius cum dabo, noſter erit.

ALIVD AD EVNDEM.

Pressus Atlas humeris qui cœlum, & ſydera torquet,
Queſierat qui tam grande ſubiret onus.
Noluit Alciden, neq; enim ſuffecerat ille
Cum prius æthereum ſuſtinuiſſet opus.
Salcanum vt uidit tot ferre negotia ſolum,
Et tot cura hominum milia ſtare ſua.
Hic ait, innumeros hominum qua mente labores
Suſtinet, & cœli templa, Deoſq; ferat.

ALIVD

Cœlum Atlas humeris & ſydera portat, & vna
Suſtinet æternos pondera ſancta, deos.
Tu regni ſummam, & Zalcane negotia portas
Non velut ille humeris ardua, verum animo.
Tantum hinc cœlifero potior dicaris Atlante
Quantum animi, uires corporis exuperant.

ALIVD.

Cæſar ad occiduos longe qui regnat Iberos,
Et late Heſperijs gentibus imperitat.
Iam mihi non Salcane leuem mandarat honorem,
Cum me fata alio proripuere mea.
Solis ab exortu noſtrum quæ ſurgere nomen
Non ueſpertina de regione uolunt:

ALIVD.

Regia cum tractes Salcane negocia ſolus,
Nec tibi luce quies, nec tibi nocte uenit.
Ipſe tamen verſus, & docta poëmata condis,
Miror inauditæ dexteritatis opus.
Rite deum nate auſpicijs, & Apolline dextro,
Vtraq; namq; huius munera ſolus habes.
Veridico antiquos ornares numine Delphos:
Carmine Parnaſsi præficerere iugis.

IN REGEM IN EIVSDEM REVERENDIS. D. Archiepiſcopi ædibus ſeſe obarmantem.

Purpureos inter proceres, populiq; Cateruas,
Inter & armatos, agmina lœta Duces.
Cum ſequerere armis fulgentem a vertice Regem
Lucet ut Aegiochi fulmen ab arce Iouis.
Viſa mihi, Heroas æquum eſt componere diuis,
Viſa mihi Martem eſt Attica diua ſequi.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Tunc dixi, modo Pannonij sperate secunda,
Mars cum Palladio numine dexter adest.

AD EVNDEM.

Q. Salcane facis versus, bene consulis idem
Illud habes Phœbi/Pallados istud habes.
Q. Diuina loqui solitus, cp pectore forti es,
Rursum illud Phœbi, Pallados istud habes.
Quandoquidem proprijs Dij te virtutibus ornant,
Supra hominem merito est, quod sapis, atcp facis.

TORMENTVM BELLICVM.

Fulmina cum faceret Vulcanus sæua tonanti,
Salcano fecit proxima tela suo.
L. S.
Quis neget a flaua te Pallade semper amari?
Cum facis Aeacides, cum dicis haberis Vlysses.

SALCANVS VRSINO.

Viuere nobiscum si uis Vrsine venito,
Mens mea fortunis fiet amica tuis.

VRSINI RESPONSVM.

Sic mihi tu facilis, sic sim tibi maxime carus
Præsul, & optata conditione fruar.
Vt mea mens nulli, tibi cp seruire parata est.
Et studet hæc vni velle placere tibi.

Non si me Cæsar petat, aut qui Cæsare maior,
Te potior fuerit ille, vel iste mihi.
Tu mihi Cæsar eris, tu Cæsare maior, & vrbs hæc
Roma erit, & Latium Pannonis ora solum.

AD SALCANVM.

Quouscp tanta sustines negotia,
Casuscp tot rerum graues
Salcane magnis non silende vatibus
Subire mature paras?
Quantum tibi arrogauerit decus labor,
Pectuscp diues consili,
Nouere gentes hinc & hinc quas alluit
Rex Ister animum potens.
Nouere Reges, atcp Regum liberi
Te munerati sedulo.
Laboriosi mens Vlyssis, & manus
Quid efficaces Herculis
Cœlo beatę? cum deos hic viribus,
Ille arte mortales sibi
Deuinxit. ohe maximis vir impiger
Defuncte iam sudoribus
Audita tantum est hactenus virtus tua,
Quam fama diuulgat volans.
Spectator esse cuius optarim modo,
Vt sensibus figam meis
Tot facta pulchre, & auspicata munia
Antistitis lectissimi.
Tu ciuitatum iura/rescp construis
Prouintiarum publicas

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Regnicq; ſummam, & quemcq; qui decet ſtatus,
Tu mente curas prouida.
Roges quid inde commodi decerpſero
Phœbi aſſuetus ocio
Ignobili, curæcq; ſecuro grauis,
Miranda primum videro
Dictu, nec ipſe iudicatus tam piger,
Culti nec expers ingenij
Quin ut Cicadæ uoce dulces florida
Laſſum viatorem iuuant.
Cum ſolis arens æſtuoſi lucidis
Tellus inarſit ignibus,
Ille aut ſub vlmo candida ue populo
Paulum reclinatus iacet,
Donec remiſsis ſyderis caloribus
Auræ ſalubres obſtrepant,
Sic cœperint te cum uacabit, arduis
Curis ſolutum cum meæ/
Tum doctiorum fructuoſæ ſyllabæ
Vt ſeriis non iuuero.
Sed & iocoſum præter Aonidum melos
Vſus tibi accedet mei,
Quod imperaris cunq; mox induſtriam
Vatis probaueris tui.

AD MAGNIFICVM DO. STEPHANVM Verbeutium regni Vngariæ Palatinum.

Aurea ceu fulgent cœlo Lenæia dona
Olim Ariadneo vertice conſpicua,
Inter & innixum genibus/ſpiriſq; Draconis
Implexum æternis ignibus irradiant,
Illud Iachei monumentum & pignus amoris,
Signacq; Theſæę lucida perfidiæ.
Sic tua Verbeti virtus clareſcit, & inter
Magnanimos ardet cognita Pannonios.
Siue Pericleo uerborum fulmine ritu,
Seu promis forti pectore conſilia.
Vincis Neſtoreæ mellita volumina linguæ,
Senſacq; cordati pondere nixa ſenis.
Et tales cingens Troiam obſidione relicto
Nelida, Atrides optet habere decem.

AD EVNDEM

Cur modo conſtitui Verbeti maxime fortes
Inter, & armiferos uiuere Pannonios.
Centum ego cum valeam ſubito depromere cauſas,
Vna ſit e centum, atq; altera cauſa ſatis.
Quamuis Salcani nos allicit ardua uirtus,
Nec minus & virtus Vir generoſe tua.
Et Thomari vario iam cognita dextera bello,
Et Brodericci ſobria vis animi,
Piſoq; iam longo pridem mihi cognitus vſu,
Quo cum eſt hoſpicij ius mihi dulce viro.
Qamuis terra ferax rerum, cœlumq; ſalubre
Qualis erat Capuæ/quale Crotonis erat,
Me iuuat inſpectare virum tot milia, quorum
Compoſuit vultus bellica virgo graues.
Nil leue, nil uanum eſt/maturacq; vis animorum,
Nulla ætas ludis, illecebriſq; uacat.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Spartani ritu populi, qualesq; seueri
Vixeruut olim non sine laude Cures.
Turpis adulterij uix nomina nota, nec ulla
Fraus innuptarum structa pudicitiæ est,
Larga, frequensq; Dei gens, & purissima cultrix
Parcere docta pijs, perdere prompta malos.
Si qua in gente diu poteras Astrea manere, hæc
Apta domus, cœlum ni placuisset, erat.

AD EVNDEM.

Nec lusus tibi, nec iocos poetæ
Nec versus humiles, & hisce mittant
Nugis consimiles, inane lemma,
Iam nec materiem sibi querantur
Scribendi vel idoneam negari,
Heroas celebrent vti vetustos,
Alciden puta, Liberumq; patrem,
Fortem Thesea, Theseoq; natum,
Et quoscunq; alios probat vetustas,
Aut quos Graiugenæ canunt diserti.
Verbeti tua prædicanda virtus,
Et cura ac studium rei gerendæ
Recte/ fortiter/impigre/decenter/
Lassabit decies decem poetas.
Annales quoq; plurimos replebit.
Quales Pontificum fuere quondam,
Vel Cœli celebres, vel Antiatis
Rhomanæ memorant fuisse chartæ.
Dehinc Crispi breuitate colliganda.
Et felicius explicanda Liui
Vbertate beata, & eleganti.

AD REVERENDISSIMVM DOMINVM Stephanum Brodericiũ Epm̃ Syrmieñ &c̃ indyti regni Hungariæ Cancellarium.

Optimus vt fieres dux inde authorq; fuisti
Iam Stephane a teneris vnguibus ipse tibi,
Vt fieres tantus/maior licet esse mereris,
Suspicor hoc æquos sic voluisse Deos.
Si tibi quotidie magni cumulentur honores,
Non melior fieri, maior vt esse, potes.

AD EVNDEM.

Optimus es, summo & nũc munere fungeris, olim
Perfecta est bonitas iam tua, crescit honos.

AD EVNDEM.

Doctus es, & bonus, & sapiens, hæc singula magnos
Cum faciant, quæso trina quid efficiunt?

AD EVNDEM VENIENTEM STRIgoniũ.

Saluus venerit opto Brodericus
Lynceus non mihi lippus intuendus,
Cuius lumina si videre possent,
Quantum mens videt Argus alter esset,

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

AD MAGNIFICVM D.IO.ANTONIVM Baronem Burgi Nuncium Apostolicum.

Si quis quid recitat tibi non palparis amico,
Hoc & Quintilius more probatus erat.
Libera non animo discordant verba loquentis,
Sic grauis est Censor dictus & ipse Cato,
Commodus ut viuas alijs frugi esse laboras,
Hoc etiam Piso nomine clarus erat.
Nil venale tibi est, fuluo necq; flecteris auro,
Hinc sua laudarunt tempora Fabritium.
Porro q; es recti tantum studiosus/& equi
Vis dicam cuius docte Baro istud habes?
Natus Trinacriæ felicis in vbere terra
Legiferæ ante alios munera matris amas.

AD REVERENDISS.D.STANISLAVM Episcopum Olumucen.

Thurso Pontificum decus bonorum
Gentis Thurso tuæ perenne sydus
AEui gloria Thurso magna nostri
Felix materia euge Thurso vatum
Modis omnibus absolute Thurso,
Nomen mirifice elegans rotundum,
Quod se accommodat omnibus Poetis,
Versu quolibet hinc & hinc decorum,
Et quouis pede currit expeditum.
Seu nos Mæonio incitamur œstro,
Heroo & libet intonare cantu,
Seu nos Callimachi emulamur vmbram,
Aut Flacci varium melos ciemus,
Aut tales imitamur adstruentes
Docti carmine syllabas Catulli.
Venisti mera sæculi voluptas,
Nostræ presidium ac decus Thaliæ:
Mœcenas hominum optime optimorum.
Vt cœlum eripit omne sæua nautis
Tempestas/& inæstuans procella.
Qui ludibria murmurantis Austri
Huc illuc rapiuntur inquieti,
Cum fors sydus amicum & expetitum
Spondet exoriens die salutem,
Strato cerula per quieta ponto
Optato potiuntur inde cœlo.
Sic curis agitati, & insalubri.
Aestu sollicitudinum malarum
Nunc nunc exoriens graueis procellas
Vultus mite tui serenat astrum,
Tempestatem abigit periculosam,
Solem restituit voluptuosum.
O sydus modo Castori gemello
Iungendum/& cui Castoris gemellus
Cedat, quod modo lucida sub æthra
Nautis irradiet laboriosis,
Votis omnibus omnium expetendum,

AD MAGNIFI.D.ALEXIVM Thursonem.

Quantum nostra bonis debet Thursonibus ætas,

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Quãtũ ego, doctorũ, & quicquid vbicq; virũ est.
Non ego, non omneis poterũt memorare poetæ,
Non & qui ingenio præstat/ & arte Logus.
Ipse parens vester/propria hoc virtute parauit,
Vnus vt in toto atq; vnicus orbe foret,
Quẽ magni ambirent Reges, quoq; auspice magnas
Res gererent, cuiusq; illabefacta fides
Vsq; erat. hinc generis clarissima sydera vestri
Nati Pontifices alter & alter erant.
Quid fuerat Iano melius? quid sanctius isto
Regula qui est vitæ Marcomanum populis?
Denicq; quis non æquus amet te pulcher Alexi?
Et fratrem nomen qui genitoris habet?
Hæredes patriæ virtutis, opumq;. beatam
Thursonum vere/magnificamq; Domum.
Carmine quæ Veli quocumq;/Logicq; rotundo
Nota sit Eois, nota sit Hesperijs.

AD REVERENDVM D. ANDREAM Præpositũ Srigonienẽ Virum vndecunq; doctissimũ.

Abi hinc o mala rauis, & molesta
Nec me longius ange pituita
Raucum iugiter/& grauedinosum.
Abi hinc pessima turgidi palati
Pestis/cum miseras periculosa
Fauces obsidione cingis, ohe
Hostilem premis in modum iacentes.
O tormenta odiosa, compedesq;
Rauci gutturis/& siticulosi.
Nec possum mihi/nec vacare amicis.
Nec iam seria/nec ioca excitare.
Nam cur vos rogo Cœlites beati
Vox me deficit? & cibus negatur
Obstrictis mihi faucibus tumore?
Cur vix aëra sorbeo perennem?
Non vestros ego prodidi loquaci
Conuictus petulantia proteruus,
Vt me Tantaleas subire pœnas
Par sit, & crucietis immerentem
Et raucedine/& esuritione.
At vos Endecasyllabi fluentes
Sed non apposite/nec apparate,
Verum (vt mos meus est) repente fusi,
Andreæ bona dicitote verba.
Nostrum illi quoq; nunciate casum,
Quo conuiua minus venire possim
Ad tam munificum virum, & benignum
Doctum Iuppiter hospitem/& disertum:
Diuersis epulis/suauibusq;
Et mentes hominum/& gulas replentem
Escarum illecebris Apicianis,
Sermonumq; lepore Tulliano,
Dictis Socraticis, Platonicisq;.

AD NOBILEM D. GEORGIVM LOXAnum Regium Secretarium.

Nil mirum æterno si delectaris Homero:
Sæpius in magna te legis Iliade.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Nirea tu ſpecie/tu pectore reddis VIyſſem,
Aemoniumq; citis paſsibus Aeaciden.
Titiden animo/iucunda voce minorem
Atriden,fido corde Menetiaden.
Atq; alijs alios virtutum inſignibus æquas.
Vndiq; & oſtendit te tibi Mæonides.

DE CLARISSIMO VIRO BENEDICTO BEKENIO, ad Piſonem.

Miremur varias tot in vno corpore dotes
Et tot in egregio pectore diuitias.
Credite non ludit ſpecies,quin indole clara
Irradiat virtus ſæpius ante diem.
Qualis heri nobis BEKENIVS optime viſus
Piſo, quis in vultu ,luminibuſq; decor?
Quem non tam prudens rapiat facundia? ceu cum
Sparſerit hibernas candida bruma niues?
Tam purum ſceleris pectus iam poſsidet olim
Cana fides/verax Suada /verenda Themis
Auſpice quo iuſtum niuea cum pace/piumq;
Florentes ſtatuent vndiq; Pannonios.

AD EVNDEM.

Donaſti incluſam fuluo mihi protinus auro
In primo gemmam limine amicitiæ.
Et dixti hoc animo tibi quo damus accipe Veli,
Perpetuum & noſtri pignus amoris habe.
Inſculpta eſt niueum complexa ardenter Olorem/
Nuda iacens/ipſum Leda tenenſq; Iouem
Vnde pios peperit fratres qui tempora vitæ
Partiti dum alter viuit,& alter obit.
Talibus auſpicijs Bekeni candide ſanctum
Pangitur æternæ fœdus amicitiæ.
Viuamus vero ſic uſq; in amore gemelli,
Caſtor ut,& frater Caſtoris Oebalidæ.

AD OPTIMVM VIRVM D. EMERICUM Calnai Regium Secretarium.

Amabo optime Calnai per omnes
Te deos rogo / per tuos ocellos
Nam quid noſter agit beatus ille
Nadaſtinus/& ille tam ſuauis?
Vir lectiſſimus,optimus ſodalis?
Cuius nunc careo allocutione
Orbatus ſalibus facetijſq;,
Quis poſt ſeria totq; poſt labores
Curas anxiferas,& actiones
Conſueuit lepidos ciere riſus?
Inter prandia vbi incidere nobis
Sermones varij modo hij,modo illi;
Inter cœnam vbi quiſq; mox ſodalis
Garrit liberius, ſaleſq; fundit
Feſtiua lepidus loquacitate.
Illi Dij bona multa dent merenti;
Et talem magis ac magis beanto.
Sed iam te rogo/tu rogabis illum
Ne pigrere ſubinde tuq;,& ille.
Obſcurum tenuem/& poëtam ineptum

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Claro, magnanimo, & Viro efficaci
Vrsinum memorare Broderico.

GEORGIVS LOGVS GAspari Vrsino Velio.

Poëtæ Lepido suo sodali
Vrsino Logus, optimi poëtæ
Horatij, quem amat impotente amore,
Et vestigia cuius ille sacra
Passu iam prope consecutus æquo est.
Hoc diuinum opus, aureo in libello
Compacto ingenio, manuq; docta
Ex magnæ Italiæ sinu, & beato
Quo viuit modo Felsinæ recessu,
Dum ille in Pannoniæ interim Vienna
Et musis bene gratus, atq; amicis
Doctis, ingenuis, & integellis
Viuit suauiter otio in beato
Transmittit, memor huius vsq; & vsq;
In pignus fideï/suiq; amoris.

GASPAR VRSINVS VELIVS LOGO suo.

Disertissime cultor o sororum
Doctarum Loge, flos poëticorum
Quot nunc sunt hominum locorum vbiq;,
Gratias agit optimo poëtæ
Vrsinus tibi/qualis ipse cunq; est
Pro tam munere culto/& eleganti,
Formoso, aureoloq; pro libello,
In quo vatis opus perenne sacri
Quem cunctis habet ipse chariorem.
Verum siue ioco, aut amore multo
Factum est, ne videaris indecenter
Ausus/nec bene Velium poëtæ
Docto in carmine comparare tanto,
Quem nemo fuit ausus æmulari,
Et vestigia cuius ipse adoro,
Vt desint mihi cæteræ Poëtæ
Virtutes sapientis, ac rotundi,
Nunc & lumine lippiens vtroq;,
Et collyria sustinens vtroq;
Hoc saltem vitio, licet molesto
Horati similis queam videri.

A KÖNYV-TÁRA

DE SE IPSO ET LOGO.

Iam mihi liquendũ Aonidum nemus/altaq; Cyrrhæ
Vos iuga/Permessi iam valeatis aquæ.
Humanis potiora sequar/tibi Christe dicabo
Omne æuum si quod mi superesse voles.
Qui patriam celso decorabit carmine/nobis
Succedat melior/iam meliorq; Logus.
Non spes ille meas crescens/animumq; fefellit,
Immo etiam exuperat nunc magis atq; magis.
Cedite Germani vates/Latijq; nisi vltro
Ceditis, at vobis hunc sinite esse parem.

Ioãnes Singrenius Viẽnensis Typographus excudebat. Anno a Christo nato. M.D.XXVI.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

A M.N.M. MUZEUM KÖNYV-TÁRA

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library